

XXXIX.

Alij porró à Melanchthonē dissentientes, finem Logicæ acriter contendunt esse veritatem: Huius enim gratia omnia fieri afferunt in Logica. Nos autem cum MeL. finem hunc reūcimus: Veritas enim est adæquatio noticiæ, cum ipsis rei essentia, ut doctissimè disputat Scaliger. Quia verò Logice non agit de ipsis rebus; sed tantum instrumenta docendi, & eas cognoscendi complectitur: Non igitur erit finis eius veritas, sed hæc est finis cuiusq; scientiæ, quarum quælibet docetur atq; disicitur hanc ob causam, ut rei subjectæ veritatem, h.e. veram & ipsius essentiæ aqualem noticiam consequamur.

X L

Et hoc ipsum multi alijs, in primis autem Zabarella i. lib. de N. I. c. 13. pag. 3. A. fatetur, qui dicit, in omnibus disciplinis locum habere verum & falsum, omnes disciplinas docentes verum & falsum amplecti. Si ergo veritas & falsitas competit omnibus disciplinis, quomodo veritas Logicæ potest attribui pro fine proprio? De proprio enim fine hic controversia est.

X L I.

Deinde veritas axiomatis affectio propria est, sive enunciatiū per se sit manifestum, sive propter dubitationem alicuius fiat quæstio, & opposit arguento tertio: Non enim in Syllogismo, quatenus est Syllogismus per suam formam, sed in enunciatis, ex quibus Syllogismus constat, habet ipsa veritas. Hinc propositiones Syllogismi veræ & false dicuntur: Syllogismus verò non item; sed legitimus vel illegitus vocatur.

X L I I.

Et, quod alijs contendunt, veritatem, cùm in Syllogismo spectetur, non tantum axiomatis esse affectionem, sed totius Logicæ; ac proinde etiam finem; longè aberrant: Nam veritatis ratio in Syllogismo habetur per accidens. Et, sicut consequentia & inconsequentia per se judicantur Syllogismo: ita veritas & falsitas judicantur Syllogismo consequenter, seu ex accidenti: quia ex vero nil nisi verum, & ex falso nil nisi falsum sequitur.

X L I I I.

Ac si veritas sit finis Syllogismi, quæ Syllogismi; quod tamen demonstrari sufficienter nequit: non tamen ideo totius artis erit finis, de quo sane principaliter queritur; cùm partis unius finis non possit esse totius.

Neg